

Ecce servus meus complacet sibi in illo anima mea

Léctio libri Isaíæ prophétæ

42, 1-4. 6-7

Hæc dicit Dóminus:

- ¹ «**E**cce servus meus, suscípíam eum;
eléctus meus, cómplacet sibi in illo ánima mea;
dedi spíritum meum super eum,
iudícium géntibus próferet.
- ² Non clamábit neque vociferábitur,
nec audiétur vox eius foris.
- ³ Cálamum quassátum non cónteret
et linum fúmigans non exstínguet;
in veritátem próferet iudícium.
- ⁴ Non languébit nec frangétur,
donec ponat in terra iudícium;
et legem eius ínsulæ expéctant.
- [5]
- ⁶ Ego, Dóminus, vocávi te in iustítia
et apprehéndi manum tuam;
et formávi te et dedi te in fœdus pópuli,
in lucem géntium,
- ⁷ ut aperíres óculos cæcórum
et edúceres de conclusióne vinctum,
de domo cárceris sedéntes in ténebris».

Verbum Dómini.